

R E V E R E N D I S S . P A T R I , I L L V S T R I S S I -  
 mo auitæ Domus Brandenburgen̄. Marchioni, D. A L B E R T O ,  
 Principi Electori: Ecclesiæ Rom. TT. S. Petri ad Vincu -  
 la Presbytero: Cardinali: Moguntinæ, et Magdeburgen̄.  
 sedium Archiepiscopo, Halberstadien̄, uero Ad -  
 ministratori: sacri Rom. Imp. Archicancella -  
 rio, Germaniæ Primati. &c. Domino si -  
 bi obseruantissimo,

**Q**UOD IN REBUS HUMANIS PRÆCIPVVM,  
 & natura quasi compertum, Princeps clementissime, quodq; iure quo -  
 dam nostro, omnes summopere curamus, nimirum id est, ut & Victus  
 sit ratio, & Vitæ seruetur incolumitas. Neque id abs re: quando etiam  
 sacris literis proditum, q̄ nemo carnem suam oderit unquam. Et mira  
 C O N D I T O R I S prouidentia factum, ut, pro ea conseruanda, suo  
 quæq; ordine, suis quoq; fungantur officijs, cum interiora, tum exteriora  
 Hominis membra: indito illi, super hæc, spiritu æthereo, qui rationis  
 ductū moderetur: ut uere cecinerit Psaltes, D I I S similem factum: qui  
 heroico quodam statu, cæteris creaturis, & dignitate, & iudicio prælit:  
 ad stipulante in eam rem ingenioso Poëta,  
 Pronaq; quum spectent Animantia cætera terram,  
 Os Homini sublime dedit, cœlumq; uidere  
 iussit, & erectos ad sydera tollere uultus.  
 Cui tametsi, ob lapsum, a cunis etiam, bis mille erumnarum & calamita -  
 tum accidant, quas inglorium forte, celsitudini tuæ si recenseam, Lectori  
 quoq; plus fastidio, q̄ uoluptati, infinitis tamen interim Gratiarum do -  
 nis ornatur, quibus in hoc seculo nequam, diuinum in se numen resplen -  
 deat: quo non fucata charitate, uel subiectis iuste dominetur, uel proximi  
 necessitatem benignius ferat. Quæ quum ita se habeant, quisnam infici -  
 as ibit, te, ex homine licet, tam clara tamen prognatum stirpe, tanta præ -  
 cellentem & dignitate, & uirtutum insignijs, ad id inueneris a D O M I -  
 N O uocatum, ut non modo Patriæ Pater, sed & admirandum iusticiæ,  
 legalitatisq; specimen sis unicum toti Germaniæ. Iis accedunt illustri -  
 D. T. bonarum Artium, Autorumq; celebriū eruditissima censura, cum  
 tam sollicita lectiōe, inter tot etiam negociorum reip. strepitus, ut iusti -  
 nianum non iniuria, si non superes, certe æques: non armis (ut es Prin -  
 ceps paci studiosissimus) uerum Bibliothecæ incomparabili thesauro,  
 & condendarum Legum argutissima animaduersione. Hæc inq; atq;  
 alia uirtutum tuarum monimēta, adamussim in te perspiciens diuus ille,  
 non intermorituro seculo etiānum uiuens M A X I M I L I A N V S (ni -  
 me, sed nec fallere potest, integer Iacobi Spiegellij candor, & probata fi -  
 des) tete, Princeps clarissime, secundum ex multis selegerat, quocum illi  
 principales in arduis deliciæ, cuius mansuetudine, temperātia, iudicio &

consilijs, olim restituta morū uetusta integritas, Legum infinitarū chaos  
cōaēta, & demum Turcæ impia tyrannis propulsa, Christianus orbis  
aliquanto tutior seruaretur. Sed heu, ut est Fati irreuocabile fatum,  
Heros ille, inuictissimi spiritus Imperator, a D O M I N O uocatus,  
abit, te nobis ad eiusmodi munia Albo subscriptum, relinquens. Quæ  
tuæ celsitudini, Princeps maxime, si forte molestius obtrudam, infimi  
nominis Librarius, at saltem id boni consulas, in morali gloria hysce ne-  
njs utrosq; dignos, posteris reddidisse, citra omnem Aulæ applausum.  
Ut uero ad conseruandam V I T A E sanitatem, quod præcipuum car-  
nis officium, redeamus, offerimus ecce tuæ celsitudini hosce Authores  
treis, a situ ueteri, quantum licuit, per exemplar non tam mutilum, q̄ de-  
prauatum, uindicatos: qui & si non Romana polleant eloquentia, at uero  
quod queritur absolutissime præstant. Quos ubi sedentario delectu quis  
uel obiter legerit, mirum q̄ pulcre reddant legentem alacriorem, tra-  
hantq; illecebris quibusdam P L V S V L T R O (ut dicitur) pergen-  
dum. Suscipe ergo pientis. Princeps, nec dedignare munus, non qui-  
dem offerentis, sed illorum potius monumenta, qui sub inlytissimo no-  
mine tuo, cunctis abhinc seculis reuixerunt: & Schotti in hoc animum,  
humilima subiectione tuæ celsitudini deuotissimum, ratus excipe. Pro-  
tectione diuinæ maiestatis in C H R I S T O felicissime ualens. Argen-  
torati. VI. Februarij, Anno M. D. XXXI.

Cellit. τ. obsequentis.

Ioannes Schottus, librarius  
Argentoratē.